

RUBRICÆ,  
ET CAPITULA  
HUJUS PRIMÆ PARTIS  
PRIMI LIBRI DECRETALIVM.

de Constitutionibus.	pag.16	de Rescriptis.	188
<b>C</b> ononum statuta.	16	<b>A</b> d audientiam, il primo.	206
Cum accessissent.	143	Ad audientiam,	230
Cum M.	149	Causam quæ.	207
Cum omnes.	124	Cæterum,	188
Ecclesia S. Mariæ.	159	Dilectus,	247
Ex parte.	167	Eam te.	202
Ne innotaris.	31	Edoceri.	245
Quæ in Ecclesiis.	130	Inter cæteras.	196
Quoniam.	172	Nonnulli.	220
		Super litteris.	210
de Consuetudine.	252		
<b>C</b> onsuetudines.	252		
Cum dilectus.	266		
Quanto.	259		
Venerabilis.	265		
de Postulatione Prælatorum.	275		
<b>B</b> onæ memoriæ.	275		
Etsi unanimiter.	282		
		<b>D</b> amnamus.	12
		Firmiter.	1
		de Summa Trinitate, & fide	
		Catholica.	1



PRO.



PROSPERI FAGNANI  
COMMENTARIA  
IN PRIMAM PARTEM  
PRIMI LIBRI  
DECRETALIVM.

DE SVMMÆ TRINITATE,  
& Fide Catholica.

Cap. Firmiter.

SVMMÆ TRINITATE.

- 1 **C**oncilium Lateranense sub Innocentio III. cur simpli ceter Generale Concilium fuerit appellatum. & n. 11.
- 2 Conciliorum generalium præstantia, quibus excelsis descendenda.
- 3 Nicani Concilii autoritas, & præminentia quæ. & num. 6.
- 4 Fides una est simplex, & incommutabilis, qua in omnibus universalibus Conciliis declaratur.
- 5 Conciliorum quatuor universalium dignitas.
- 6 Miraculum in Nicana Synodo.
- 7 Concilia nationalia, quibus Summi Pontifices, vel eorum Legati præfuerunt, an, & quomodo universalis, seu generalis nuncupari possint.
- 8 Occumenicum Concilium quod dicatur.
- 9 Concilia ocumenica quæ, & quot in Ecclesia fuerint hactenus celebrata.
- 10 Concilia omnia universalis solius Romana Ecclesia autoritate sunt, & reborantur.
- 12 Firmitas quid sit.
- 13 Fidei distinctio quæ, & num. seq.
- 14 Spes est cupidorum.
- 15 Fidei articulus explicitè credere, an necessarium sit ad salutem cuiuslibet habentis usum liberi arbitrii, an verò sufficiat illos credere implicitè, & num. seq. usque in finem.
- 16 Pueris, & stultis baptizati suffragari meritum Christi, cuius facti sunt participes in perceptione Sacramenti.
- 17 Fides implicita, & explicita quid sit.
- 18 Adulti omnes etiam simplices, & laici tenentur explicitè credere Deum esse, & esse remuneratorem omnium bonorum.

- 19 Laici & simplicibus an sufficiat implicitè credere articulos fidei, & num. 4. 1. & seqq.
- 20 Erranti in fide non impunitur, si ex simplicitate deficiat, & fidem suam supponat fidei Ecclesie. Hæreticus, & erraticus, qualiter differant. ibid.
- 21 Clerici inferiores, qualiter teneantur laicos credere in cognitione distincta fidei, & num. 50.
- 22 Clericus an liceat explicitè cognitioni articulo fidei præponere alia opera pietatis, aut alias scientias.
- 23 Prælati Ecclesiarum, & alij curam animarum habentes, & officium docendi fidem, tenentur explicitè scire articulos Symboli Patrum, & Athanasij, num. seq. & num. 49.
- 24 Episcopi tenentur de fidei articulo reddere rationem omnem omni potestati, & hæreticos persequi, & utare.
- 25 Episcopus ordinandus super quibus examinari debeat ex decreto Concilii Carthagenensis IV.
- 26 Symbolum quid sit, & quotplex.
- 27 Symbolum Apostolorum ubi, quando, & cur ab Apostolo compositum fuerit.
- 28 Symbolum unde dictum.
- 29 Fidei articuli in Symbolo Apostolorum comprehensi quot numerentur, & qualiter singuli singulis Apostolis attribuantur.
- 30 Symbolum Nicænum, ubi, quando, & cur dictum.
- 31 Spiritum Sanctum à Filio procedere, quando, & cur ab Ecclesia distinctum fuerit, & num. seq.
- 32 Symbolum majus cuius autoritate decantetur in Missa.
- 33 Symbolum Quicumque vult, ubi & cur editum ab Athanasio, & quomodo Ecclesia autoritate receptum fuerit.
- 34 Symbolum fidei ordinare Summi Pontificis munus est, non privatorum Patrum, & non. 48.
- 35 Symbolo Apostolorum alia Symbola à diversis Conciliis fuerunt, addita ad explanationem veritatis, & exclusionem errorum insurgentium, & n. seq.
- 36 Constitutio, de qua hic, an congrue dici possit

A

quar-



- quartum Symbolum.
- 37 Fidei professio formula a Pio IV. prescripta Symbolum appellari potest.
- 38 Papa potest fidei Symbolum ordinare, etiam sine Concilio.
- 39 Articulus fidei quid sit.
- 40 Articulus fidei tripliciter accipitur.
- 41 Fidei articulos, qui continentur in Symbolo Apostolorum explicito credere unicuique necessarium est ad salutem.
- 42 Laicos non teneri ad aliquem fidei articulum explicito credendum, est heresis.
- 43 Fidei obiectum duplex.
- 44 Mytheria Christi praecepta que ab Ecclesia solemnizantur iam maiores, quam minores tenentur explicito credere.
- 45 Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam omnis Christianus ex necessitate salutis tenetur memoriter retinere; Symbolum vero Patrum Sacerdotes, & omnes gradus Ecclesia & n. 50.
- 46 Concilij Florentiensis decretum de Symbolo fidei expenditur.
- 47 Consiliores ex Concilio Provinciali Mediolanensi, quomodo prohibentur absolvere penitentes, qui memoriter vespiciunt Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum fidei, & praecepta Decalogi.
- Compares fidei rudimenta ignorantes quomodo ex Concilio Mediolanensi prohibentur infantes de sacro fonte suscipere. ibid. vers. Item in Concilio.
- 48 Concilia Provincialia Mediolanensa approbantur per literas in forma Brevis. alia recognoscuntur & emendantur a S. Congregatione Concilij.
- 49 Episcopi legem scire debent servantibus, non perfunctorie.
- 50 Clericus an sufficiat habere fidem implicitam de articulo ab Ecclesia definitum.
- 51 De articulo circa fidem continentibus sententiam veram, sed ab Ecclesia non definitam an liceat dubitare, aut contrarium asserere.
- 52 Propositionum in fide peccantium gradus varij.
- 53 Errare, id est aliud pro alio putare in his, quae ad fidem, aut mores non pertinent, an & quando liceat.
- 54 Propositiones multae ab Inquisitoribus hereticae pravitati censura remercitate notantur in articulo non definitis, si ratione, & autoritate sint definitae.
- 55 Actus fidei duplex.



**H**ermiser. Hec Constitutio inscribitur, Innocentius III. in Concilio Generali, id est, in Concilio Lateranensi IV. Ubi enim in sacris Canonibus simpliciter fit mentio de Generali Concilio, etiam nomen Pontificis non exprimitur, intelligitur de hoc Lateranensi, ut n. c. Quia nonnulli, infra de Cler. non resid. in c. 2. de stat. Monach. utrobique in suprascriptione, & saepe alibi; & in corpore in c. Ecclesia vestra. 2. de elect. in c. Quamquam. in c. Si cui. eod. tit. lib. 6. & in c. final. de Capell. Monacho. ubi glo. 2. dicit Concilium Innocentij sic semper appellari. Non tamen pures ita appellatum fuisse ex praerogativa, ut prerogativa auctoritatis, ut aliqui perperam opinati sunt. Nam etsi haec Synodus, ut ait Surius in illius praefatione, in primis insignis fuerit, & vere oecumenica, eique interfuerint Episcopi 112. inter quos Patriarcha Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Archiepiscopi tum Latini, tum Graeci septuaginta, ac praeterea Abbates, & Priores ultra octingentos; tamen illa praesentia Conciliorum sumenda esset ex numero Patrum, Concilium hoc praefendum esset Niceno, & ex quatuor Lateranensibus prima auctoritas tribuenda esset Lateranensi II. sub Innocentio II. in quo fuerunt Episcopi circiter mille, ut testatur Abbas Urspergenis in Chronica. & habetur in historia ejus Concilij tom. 3. Concil. p. 2. pag. 489. Et tamen ut de Nicana Synodo scribit Leo episc. 53. ad Anatolium; (Nulla sibi mem de multiplicatione Congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum vel comparare se audeat, vel praefere, cum tanto divinitus privilegio Nicana sit Synodus consecrata, ut live per pauciores, live per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit Constitutione diversum.) Ex parte autem materiae tametsi una & eadem sit fides simplex, & incommutabilis, quae in omnibus universalibus Concilijs declaratur, ac definitur, ut infra in §. Vna verò. & in Extravag. Vnam sanctam. de major. & obed. & explicat D. Thomas in 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. & Turrecrem. in c. Domino Sancto. n. 2. & 7. vers. Nobis autem videtur. 50. dist. Tamen praestat auctoritas quatuor Conciliorum Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, & Calcedonenis, quae, ut Isidorus ait lib. 1. etymolog. c. 16. totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, vel totidem Paradisi flumina. In eis enim definita sunt altiora fidei principia, & Religionis Catholicae fundamenta, majoresque & perniciosiores fidei hostes convicti, & prostrati fuerunt Arius, Eunomius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, & Dioscorus, impiaque eorum dogmata condemnata, ut in c. Canonibus; & ibi Turrecr. in 2. p. n. 1. vers. In oppositum; & in c. Sancta Romana. 15. dist. Ac propterea sicut Evangelij quatuor libros, ita quatuor haec Concilia se suscipere, & venerari faretur Gregor. lib. 1.

**R**egeff. Episc. 24. quia in eis veluti in quadrato lapide fidei structura confurgit, ut refertur in c. Sicut, ead. dist. Quod sui praerogativa Conciliorum, sicut arguit Turrecr. loc. cit. habenda ratio Sanctitatis Patrum, in Nicena Synodo, ut Ambrosius inquit, lib. 1. c. 1. de fid. ad Gratian. Augustinus, trecenti decem & octo Sacerdotes tanquam Abrahæ electi iudicio consona fidei virtute victores velut trophaeum toto orbe subactis perfidis extulerunt, & inter hos quam plurimi Confessionis gloria, martyrio, & miraculis clari, ut videre est in historia ejus Concilij tom. 1. Concil. par. 1. pag. 263. & in notis pag. 298. & uberius apud Cardin. Baron. ad annum 325. a n. 20. usque ad num. 48. Ex quibus duo Episcopi jam vita functi a reliquis Patribus ad sepulchrum requisiti propria manu subscripserunt Synodo in hac verba: (Chrysanthus, & Mausonius, qui cum Patribus omnibus in sancta prima oecumenica Nicana Synodo consentimus, quamvis corpore translati, manus tamen propria nos quoque libello subscripsimus) ut refert Nicephorus lib. 8. Historia Ecclesiastica cap. 23. Unde non mirum si haec Synodus ab Eusebio lib. 3. de vita Constantini, & August. lib. 1. de Bapt. c. 18. Orbis terrae Concilium appellatur; & alibi, Verbum Domini, Divinum, & Sanctissimum Oraculum Spiritus sancti, ut apud Athanasium episc. ad Episcopos Africae. Leonem Episc. 53. ad Anatolium, & Cyllyllum 1. de Trinit. & simpliciter Magnum Concilium in c. Non oportet. 7. q. 1. & in VI. Synodo art. 18. Denique si in dignitate Conciliorum spectanda sit antiquitas, juxta textum in c. Domino Sancto in fin. 50. dist. eodem modo inter omnia Concilia universalia supremum locum obtinuit Nicenum, quod fuit primum oecumenicum in Ecclesia celebratum. Nam quatuor Apostolorum Concilia, quorum prima est Auctoritas, & Concilia nationalia, quibus Summi Pontifices per se, vel per suos legatos aliquando praesuerunt, quamvis universalia, seu generalia appellari possint secundum hoc, quod ab universalis Ecclesiae capite congregata de universalibus rebus tractent, & generaliter omnes fideles ad legum suarum observantiam adstringant secundum Turrecrem. in d. c. Canonibus in 1. parte n. 3. dist. 15. ideoque Concilium Turonense simpliciter dicatur Generale Concilium in c. 1. de Vsur. ut ibi per glof. in ver. Concilij, & Card. in Clem. unic. n. 6. de Imm. Eccl. & Athanasius Apolog. 2. Generale Concilium appeller primam Synodum Alexandrinam, cui tantum interfuerunt Episcopi, qui Alexandrino Primati parebant, una cum Eusebio Cordubensi Episcopo Sylvestri Papae legato: tamen dici non possunt oecumenica, seu universalia ab universalitate orbis; quia oecumenicum Concilium est, cui Episcopi totius Orbis, nisi legitime impediuntur, interesse possunt, ac debent, cuique nemo alius, quam Romanus Pontifex per se, vel per legatos suos praesidet, Quod etiam ab Augustino plenarium Concilium appellatur, ut per Turrecrem. in d. c. Canonibus in 1. parte n. 3. In praecedentibus autem annis, ut inquit Isidorus. ibidem relatus, persecutione fervente docendarum plebium minime dabatur facultas; inde Christianitas in diversas haereses scissa est, quia non erat licentia

Episcopis in unum conveniendi, nisi tempore Constantini Imperatoris, sub quo Sancti Patres in in Niceno Concilio de omni terrarum orbe convenientes secundum quod Apostolos Symbolum tradiderunt. Itaque quod spectat ad antiquitatem, Concilium Innocentij Tertij fuit habitum anno Domini 1215. Pontificatus illius decimo octavo, & fuit duodecimum oecumenicum. Nam ante illud praecellerant Nicenum sub Sylvestro, Constantinopolitanum sub Damaso, Ephesinum sub Coelestino, Calcedonense sub Leone, Constantinopolitanum II. sub Vigilio, Constantinopolitanum III. sub Agathone, Nicenum II. sub Adriano I. Constantinopolitanum IV. sub Adriano II. quae octavo ex ordine recentiora in c. Sancta. 16. dist. & collecta fuerunt intra quingentos quadraginta quinque annos secundum Cardin. Alban. in tract. de potest. Papa. & concilij par. 2. n. 33. Concilium enim Sardicense in numero universalium Conciliorum non computamus; quia etsi fuerit vere oecumenicum sub Julio I. ex 376. Episcopis congregatum, ut probant Baron. ad ann. 347. n. 7. 8. & 9. & Bellarm. lib. 2. de Roman. Pontif. c. 21. tamen fuit appendix Nicenae Synodi, & tantummodo illius canones explicavit, ut patet ex notis ad illud Concilium tom. 1. par. 1. pag. 445. & idem dicimus de oecumenico Arimenesi sub Liberio I. in quo tantum Nicenae fides fuit confirmata, ut in notis ad idem Concilium eod. tom. pag. 482. Item Concilium Innocentij praecellerunt Lateranensa sub Calisto II. Innocentio II. & Alexandro III. Post illud verò sex tantum celebrata fuerunt, nempe duo Lugdunensia, sub Innocentio IV. & Gregorio X. Viennense sub Clemente V. Florentinum sub Eugenio IV. Lateranense novissimum sub Leone X. & Tridentinum, quod fuit decimum octavum & ultimum oecumenicum sub Paulo III. Julio, III. & Pio IV. Omitimus enim Constantiense sub Martino V. & Basileense sub Eugenio IV. quia etsi fuerint oecumenica, tamen ex parte reprobata fuerunt, ut dixi in c. Significasti infra de elect. & in c. 1. de schismat. Haec de ratione antiquitatis.

**I**n reliquis verò una & eadem est auctoritas, quia universa Concilia congregantur, & roborantur. d. c. Significasti, ibi; Cum omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem & facta sint, & robor accepterint. c. 1. & per totam. 17. dist. & docet D. Thom. in 2. 2. q. 1. art. 10. & Turrecr. in c. Sancta Romana. n. 3. 15. dist. idemque & unus Spiritus Sanctus, ut potest magister veritatis est inspirator mentium Patrum, in Concilio, ac illustrator, & doctor secundum illud ad Hebr. 11. Visum est Spiritui Sancto, & nobis. Unde & eodem Spiritu Sancto Canones universalium Conciliorum conditi sunt c. Violatores. 25. q. 1. quare hoc respectu inter Concilia universalia non constituitur differentia. Turrecr. loco cit. Dicendum est igitur haec tantum ratione Concilium hoc Innocentij simpliciter fuisse appellatum generale, quia cum paulo ante fuisset celebratum aliud concilium Lateranense sub Alexandro III. idque jam ubique appellaretur Concilium Lateranense, etiam sine ulla Pontificis mentione, ut in c. 2. in inscript. de Stat. Monach. & in c. Quod Dei timorem, in corpore eodem, tit. & alibi saepe ad constituendam diffe-



differentiam inter hæc duo Concilia, & majoris facilitatis gratia hoc posterius fuit simpliciter nuncupatum Generale, quod innotuit in Clem. unic. de Innum. Ecclesiar. in illis verbis: in Lateranensi generali Concilio, ubi in specie hoc observat Cardin. n. 6. & ante eum Holt in c. fin. de Capell. Manab. n. 1. dicens: & Lateranense generale fuit, quod Dominus Alexander III tenuit, & similiter generale fuit quod Dominus Innocentius III. celebravit; Vtrumque ergo sic appellari potest. Ad differentiam autem Concilium Alexandri vocatur Lateranense propriè, & Concilium Innocentij Generale. Hæc de nuncupatione generalis Concilij.

An autem Constitutiones in Concilio editæ denominandæ sint à Papa, vel à Concilio, dicam infra in c. 1. de Pæni. ubi Abb. & DD. tractant materiam. Rursum Constitutiones editæ à Papa in Concilio censentur Conciliares ad effectum derogationis, ex animo in c. Ex parte. de Capel. Monach.

13 His circa inscriptionem expeditis, hæc Constitutio dividitur in duas partes principales. In prima utique ad §. Una vero. tractat de Sum. Trinitate, & eius operibus; de fide Catholica, & articulo fidei. In 2. de Sacramento Eucharistia, Baptismus, Pœnitentiæ, & Conjugij, nec aliter solet summari.

In principio textus nota illud verbum, firmiter, id est constanter, & sine ulla hesitatione, secundum illud Iacobi. 1. Postulet autem in fide nihil hesitanti. Fides enim ambiguum non habet, alias si habet, fides non est, sed opinio, ut Bernard. inquit lib. 5. de consideratione ad Eugenium III. & Turrec. in Summ. de Eccles. lib. 2. c. 99. & dubius in fide infidelis est. c. 1. infra de Hæret. c. Aperte, & ibi glos. in ver. titu. babat. 2. q. 1. glos. 2. & Holt. hic in princ. 10.

13 And. supra in rubric. num. 1. & Bald. n. 5. Firmitas autem secundum Iudorum hic relatum à Jo. Andr. & Bellam. in princ. est animæ constantia, qua quis rei apprehensæ ita tenaciter adheret, ut ab ea aliquo impulsu evelli, vel separari non possit. Tanta enim debet esse fidelium constantia, ut prius auferatur vita, quam fides. c. Conventor. 23. q. 8. Unde fides prout accipitur hic, ita diffinitur per glos. Holt. & Jo. Andr. supra in rubr. Fides est voluntaria certitudo absentium infirmitatem, & supra opinionem constitutas, quam quidem certitudinem ac firmitatem infirmitat Apollolus ad Hebr. 11. cum ait: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Nam per argumentum intellectus inducitur ad alicui firmiter adherendum. Unde alia littera habet, convictio, quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt, ut explicat D. Thom. in 2. 2. q. 4. art. 1. Quod enim fide tenetur, propter fidei certitudinem existimatur impossibile aliter se habere, ut idem ait q. 1. art. 3. ad 4. Declaratio tamen Apolloli non videtur propriè distinctio, sed quædam notificatio fidei, cum non sit convertibilis cum suo distincto, secundum glos. supra in rubr. & Holtien. n. 4. Nam spes similiter est substantia sperandarum rerum, & tamen non est fides. Deinde distinctio hæc videtur tantum loqui de futuris; cum tamen fides sit tam de

presentibus, quam de præteritis, & futuris, eo quod habere ad omnia. Ad præterita, quia credendum est Christum fuisse natum, & passum. Ad presentia, quia credendum est in Sacramento Altaris Christi corpus, & sanguinem sub speciebus panis, & vini veraciter contineri. Ad futura, quia credere debemus ipsum venturum, & iudicaturum vivos, & mortuos. Addo quod multa sunt credenda, quæ tamen non sunt speranda, ut infernus, & alia id genus de quibus non potest esse spes, sed timor, ut per D. Thomam in 1. 2. q. 23. art. 2. Quia spes est cupidorum. c. 1. §. fin. de elec. lib. 6. ubi id notat. Archid. in ver. spem. n. 7. & dicit extensionem appetitum in id, quod appetibile est, ut idem S. Thom. declarat in 3. dist. 26. q. 1. art. 1. Doctores tamen communiter salvant distinctionem Apolloli, ut dicit Abb. supra in rubr. n. 1. eamque in specie tenentur ibi Jo. Andr. n. 15. Anton. de Butr. n. 3. Bellam. n. 5. & Card. n. 6. qui amplius in quaestione sequenti impugnat prædictam distinctionem gloriæ Bernardi. Verum solutiones eorum non adæquant intellectum quoad præterita, & inappetibilia, de quibus quamvis esse possit argumentum non apparentium, non tamen potest esse substantia sperandarum rerum. Unde de his consule Theologos in 3. dist. 23. & præsertim S. Thomam ibi q. 2. art. 1. ubi ait, prædictam assignationem Apolloli esse rectam, & propriam distinctionem fidei quantum ad ea, quæ exiguntur ad modum distinctionis. & in 2. 2. q. 4. art. 1. ubi ostendit illam esse perfectissimam distinctionem, & omnes alias distinctiones, quæ de fide dantur, ut ab Augustino tract. 40. in Ioan. à medio tom. 1. à Damasceno lib. 4. c. 12. & à Dionysio. c. 7. de divin. nominib. esse explanationes huius, quam ponit Apollolus. De varijs autem acceptionibus fidei vide supra in rubr. per glos. Holt. num. 3. Jo. Andr. n. 14. Bellam. n. 4. Card. n. 5. in §. quæst. & per Sylvestrum, & Summittas in ver. Fides.

15 In textu, ubi (Credimus) Quæro an cuilibet habenti usum liberi arbitrij necessarium sit ad salutem explicite credere articulos fidei, an vero sufficiat illos credere implicite. Extra controversiam est, cuilibet usum rationis habenti necessarium esse ad salutem articulos fidei credere, ut in Symbolo Athanasij: Quicumque vult salvus esse. & in ver. Hæc est fides, quam nisi quisque, &c. Nam sine fide impossibile est placere Deo. ad Hebr. 11. & prima salus est recta fidei regulam custodire. c. Prima salus. 2. §. q. 1. Dixi cuilibet usum rationis habenti, quoniam, ut inquit D. Thom. in 3. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 1. Pueri, & stulti baptizati suffragatur meritum Christi, cuius facti sunt participes in perceptione Sacramenti; quia meritum proprium habere non possunt, cum non habeant usum liberi arbitrij, quod exigitur ad meritum. At vero quicumque usum liberi arbitrij habent, tenentur ad meritum Christi & meritum proprium addere: meritum autem consistit in actu virtutum; unde ad salutem ipsorum oportet ut sit & actus, & habitus virtutum. Actus autem virtutum dependet ab actu fidei, quæ intentionem dirigit; unde in omni, qui habet liberum arbitrium, exigitur ad salutem eius, ut habeat actum fidei, & non solum habitum.

Hæc

Hæc D. Thomas. In modo tamen credendi est diversitas secundum personarum diversitatem, ut hic per Compolt. in princ. Unde dubitant hic Doctores, an cuilibet adulto necessarium sit articulos fidei explicite credere.

17 Ad evidentiam præmittendum est cum Archid. in c. Canonici. n. 7. 15. dist. implicite credere esse generaliter credere, quod Catholica tenet vel credit Ecclesia, & in hoc conveniunt omnes. Explicite autem credere est specialiter, & actualiter credere, secundum eum, quod salus explicat Cajet. in 2. 2. q. 2. art. 5. sed Jo. Andr. supra in rubr. n. 2. §. Bellam. n. 3. Cardin. n. 13. Abb. n. 5. dicunt, Explicite credere est scire articulos explicare, distinguere, & defendere. Verum magis videtur congruere declarationi Archid. quia multi sunt articuli, quos etiam rudes, & simplices tenentur explicite credere, ut inferius patebit; & tamen nec sciunt, nec possunt quos explicare, aut defendere. Unde, ut inquit S. Thom. in 3. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 1. ad 4. ea quæ sunt supra rationem ad hanc pertinentiam, non ponuntur hominibus simplicibus ita quod res ipsa discutiantur, sed in verborum ænigmate, quibus assentiant. Præterea respondere, & contutere circa fidei articulos, est peculiaris obligatio Episcoporum. c. Excommunicamus. il. 1. infra de Hæret. & patebit paulo infra in §. conclus. 24. Reliqui vero ad id non tenentur, & tamen obligantur ad credendum explicite, ut inferius dicemus. n. 41. Ergo explicite credere non est scire articulos fidei explicare, & defendere, ut dicitur Jo. Andr. & alij supra relati.

His præcognitis, quo ad quaestionem propositam glos. 1. supra in rubr. sic ait: Principales autem articuli fidei nostræ sunt septem, secundum quod septem sunt dona Spiritus Sancti, quos quilibet Christianus scire tenetur, Clerici explicite, Laici implicite, & credere scire tenet Ecclesia, & sunt hi: incarnatio, sive Nativitas, Baptismus, Passio Christi, sive Mors eius, Descensus ad inferos, Resurrectio, Ascensus in Cælum, Adventus eius in iudicium. Innocentius vero hic latius distinguit, ex cuius dictis eliciuntur conclusiones infra scriptæ.

18 Prima conclusio est: omnes adulti, etiam simplices, & laici tenentur explicite credere Deum esse, & esse remuneratorem omnium bonorum. Ita Innocentius hic, & Jo. Andr. supra in rubr. n. 27. Cardin. n. 15. & Abb. n. 6. Hæc enim sunt mentibus hominum infixæ, ut in psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Secundum Compolt. hic. nu. 4. & hæc prima conclusio nullam habet dubitationem: nam, ut inquit Apoll. ad Hebr. 11. Accidentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod iniquitatis se remunerator est. Addit Holt. supra in rubr. n. 12. & ponit omnium malorum; & bene, quia contrarium eadem est scientia, seu ratio cognoscendi, ut habetur. 1. Topic. c. 12. & in ist. de his qui sunt sui, vel alien. iur. in princ. ver. Nam si cognoverimus, & ibi Arecin. id quod alijs verbis explicat Sylvester in ver. fides. n. 6. ex mente S. Thomæ in 2. 2. q. 2. art. 8. ad primum, dicens, teneri quolibet Christianum explicite credere Deum esse, & providentiam eius.

19 Secunda Conclusio: Simples, & fortè omnes

Prosp. Fagn. in 1. Decretal.

laici non tenentur alios fidei articulos à prædictis explicite credere, sed satis est, ut credant verum esse quicquid credit Ecclesia Catholica. Quod procedit etiam quoad laicos, quibus Deus dedit talentum perspicacis ingenij; nam quamvis melius faciant si suum ingenium impendant in cognitione distincta fidei; tamen, ut inquit Innoc. hic. n. 6. non videntur peccare si ei non incendant, sed videtur eis sufficere, ut talenta eis credita non abscondant in terra, id est in terrenis, sed bonis operibus infundant. Cujus dictum totidem verbis sequuntur supra in rubr. Holt. n. 17. Jo. Andr. n. 27. & 31. Butr. n. 10. ver. Imo & secundum eos. Card. n. 16. ver. de laicis autem. Inol. n. 12. ver. de laicis Abb. nu. 7. & Bellam. hic. num. 9. ver. Verum tamen dicit. Idemque de Laicis litteratis concludit hic Compolt. n. 11. Nam et si ex dono scientiæ, quam à Deo habent, & ex debito rationis videntur teneri ad distinctam cognitionem articulorum fidei, tamen non peccant mortaliter siignorant, vel si de his quaerendis non sunt solliciti; quia eorum professio ad hoc non est. Ita Compolt. quem referunt, & sequuntur Jo. Andr. n. 31. Butr. Card. Inol. & Bellam. in locis proximitatis. Verum hæc secunda conclusio cum prædictis ampliationibus quam sit periculosa patebit ex his, quæ dicemus infra. n. 41. & seqq.

20 Tertia Conclusio. Secundum Innoc. hic. n. 7. Si quis habeat fidem implicitam, eo quod credat quicquid Ecclesia credit, sed falso opinetur ratione naturalis motus Patrem esse majorem, seu priorem Filio, vel tres personas esse tres a se invicem distinctas, non est hæreticus nec peccat, dummodo errorem suum non defendat, & hoc ipsum credat, quia credit Ecclesiam fide credere, & suam opinionem fidei Ecclesie supponit; nam et si malè opinetur, tamen hæc non est fides sua, imo fides sua est fides Ecclesie, ut infra eod. c. Damianus, circa fin. Ad hoc, c. Dixit Apollolus, & ibi glos. in ver. pertinaci. 2. q. 3. & idem hic repetit Compolt. n. 16. Bellam. n. 10. ver. Item quæro. & supra in rubr. Holtien. n. 18. Jo. Andr. n. 20. Bald. n. 12. Card. n. 14. Butr. n. 11. & Abb. nu. 7. & in hoc ultimo consentit B. Thomas in 2. 2. q. 2. art. 6. ad 2. dum ait; non imputari laicis si non inveniuntur pertinaciter perseverantibus doctrinæ adherere, sed in talibus ex simplicitate deficiant, & ibi Cajet. & idem S. Thom. 1. Corinth. c. 11. lect. 4. & in 3. sent. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 3. ad primum, & saepe alibi. Dixit. Inquis. par. 1. q. 4. Alphonsi. Cast. lib. 10. q. de infra Hæret. putat. n. Albertin. tract. de agnoscendo assert. q. 12. n. 4. & q. 23. n. 3. Navar. in manual. prelad. 1. n. 10. ver. Nemo infertur. Unde Bald. hic. nu. 1. dicit esse differentiam inter erraticum, & hæreticum; nam simplices homines sunt erratici, quia errant, & tamen non sunt hæretici, quia nolunt discedere à Christo. Super quibus tamen consule Franciscum Pegniam in direct. par. 1. in quæst. 7. sicut. 20. ubi in hac materia distincte tradit regulas, quibus in foro exteriori utendum sit in casibus contingentibus.

21 Quarta conclusio. Clerici inferiores si sint pauperes, quos oportet victum proprijs manibus quaerere, c. Clericus. 12. dist. & ideo non possunt studiis vacare, quia non habent magistros,



stros, vel expensas; satis est ut sciant fidei articulos fieri simplices laici, & aliquantulum plus. arg. c. Clericus. in fin. 21. dist. sicut de Sacramento Altaris; quia oportet eos credere in eo Sacramento confici verum Corpus Christi, & hoc ideo, quia circa illud quotidie versantur plurimum laici. Ita Innoc. hic n. 4. Comp. n. 8. & Bellam. 9. vers. Si vero loquamur, & sup. in rubr. Holt. n. 16. adiciens turpe esse, & opprobrium ignorare id, circa quod quis quotidie versatur. l. 2. §. Servus autem suspensus. ff. de orig. iur. lo. Andr. n. 30. Butr. n. 10. Card. n. 15. vers. de Clerico vero interioribus, & mol. n. 12. & Abb. n. 6. Sin autem Clerici habeant magistros, & expensas ad discendum, tunc peccant, nisi in cognitione distincta fidei magis proficiant, quam laici, secundum Innoc. & alios locis citatis. Gemin. in c. Canones. 15. dist. dicens peccare Clericum, qui habet unde vivat, si magis explicitè nesciat quæ sunt fidei, quam laici; quem refert, & sequitur ibi Præpositus n. 11. quod tamen procedit nisi subit aliqua rationabilis causa, cur Clerici habentes magistros, & expensas non proficiant in cognitione distincta fidei, puta propter duritiam ingenii, vel quia oportuit eos circa alia opera pietatis intendere, veluti circa exhibita necessaria confratribus pauperibus, vel hospitibus, aut circa alia opera charitatis. Ratio est secundum Innoc. hic n. 5. quia cum ejusmodi Clerici non teneantur ad explicitam cognitionem articuloꝝ, bene licet eis explicitè cognitioni præponere alia opera pietatis. Codex enim est mendosus in ver. præponere. & corruptè etiam refertur ab Eymetico in Directa. Inqui. part. 1. in prim. pag. 19. legendum est enim præponere; alioquin ratio illa, cum non teneantur, non congrueret, & Innoc. esset sibi contrarius: unde sic refertur à Jo. Andr. supra in rubr. n. 30. Butr. n. 10. Card. n. 16. & Bellam. hic. n. 9.

Debet autem Sacerdos secundum Innocentium diligenter scrutari causam cur Clerici non proficiant, & pro modo ignorantia, vel negligentia eis penitentiam injungere. Addit Innoc. ex causa posse Clericos sine peccato scientia fidei præponere alias scientias, ut si velint addiscere scientiam Juris, ut pauperes in judicio defendant, ne opprimantur. Et sequitur hic Comp. n. 10. dicens, Clericos teneri magis intendere circa cognitionem fidei, quam Juris, & aliarum scientiarum, nisi obediendo Superiori, vel ex alia causa circa alias scientias intendant; & contentiam aliis locis citatis. Verum hæc quarta Conclusio dum in sua distinctio, & declaratione excusat Clericos à cognitione explicita, seu distincta articuloꝝ fidei, si ita generaliter accipiatur, idem non vacat periculo, & confunditur in his, quæ dicemus infra n. 41. & n. 50.

Quinta & ultima Conclusio, ex Innoc. n. 2. & Comp. n. 5. Prælati Ecclesiarum quicumque curam animarum habentes debent excedere hanc fidei mensuram; oportet enim eos explicitè, & distinctè scire articulos fidei, qui continentur in Symbolo, Credo in unum Deum, & in Symbolo, Quicumque vult, & perit. 38. dist. Idemque de omnibus habentibus officium docendi fidem, scilicet Sacerdotibus, Professo-

ribus, Doctoribus, & prædicatoribus, ex D. Thom. in 3. dist. 2. §. 2. art. 1. q. 3. S. Bonav. & Richard. tradit Sylvester ver. fides. nam. 6. vers. Quilibet autem habens officium docendi. Inter hos autem Episcopi debent alios excedere in hujusmodi cognitione, quia tenentur de his articulis reddere rationem omnipotentis, & ceter. 36. dist. c. Omnes, 38. dist. & ut inquit Holt. sup. in rubr. n. 13. Scire debent circa prædicta opponere, & respondere, & Hæreticos persequi, & confutare. c. Excommunicamus il. i. §. Adjuvum & §. penult. infra de Hæret. Quamvis non teneantur ex tempore ad omnia respondere, sed ex deliberatione, ac si oportuerit etiam cum aliorum consilio, secundum prædictos, & cum quibus concordant Jo. Andr. Butr. Cardin. & alij locis prælegatis. Rationem reddidit D. Thomas. in 2. 1. q. 2. art. 6. quia sicuti Superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorē notitiam de rebus divinis, quam inferiores, ut dicit Dionys. e. 12. celest. Hierarchia ita etiam superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorē notitiam de credendis, & magis explicitè credere, & sequitur Direct. Inqui. part. 1. quæst. 4. Quid autem in specie oportet Episcopos explicitè scire, constat ex Concilio Carthaginiensi IV. c. 1. sub Anastasio ab Episcopo 214. (inter quos Augustinus) celebrato, & approbato à Leone III. quod habetur tom. 1. Concil. par. 1. pag. 188. & plenius ex Pontificali Romano in rubr. de ordinatione electi in Episcopum.

Cæterum etsi cum Innocentio in prædictis conclusionibus transeat communiter Canonista; tamen quia illius doctrina in aliquibus partibus difficultatem; pro clariori quæstionis solutione observandum est ante omnia quid, & quomplex sit Symbolum. Item quod sit articulus, & quot modis accipiatur.

Symbolum, quod spectat ad rem præsentem, nihil est aliud, quam collectio sententiarum fidei, ut patet ex D. Thoma in 2. 2. q. 1. art. 9. & S. Anton. in par. 4. tit. 2. c. 4. §. 3. vel secundum Jo. Gersonem in Compendio Theologiae, est omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio, nam, ut ait Cassianus lib. 6. quidquid per univèrsam divinarum voluminum corpus immensa diffunditur copia, totum in Symbolo colligitur brevitate perfecta. Et est triplex secundum Præpositum in c. Canones. n. 2. 15. dist. & Concilium Lingonien. anno 1404. ut in Decretis Ecclesie Gallicanæ Laurentij Bucchelli lib. 1. c. 24. de Symbolis fidei pag. 11. tit. 1. B.

Primum Symbolum est Apostolorum, videlicet ab Apostolis compositum in Conventu habito in Judæa anno Christi. 44. ut apud Cardin. Baron. eod. anno. n. 14. Nam, ut scribit Beatus Clemens in epistola ad Jacobum fratrem Domini, Christo resurgente, & ascendente in cælum, misso Sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, unusquisque quod sentit docendo condiderunt, ut discerentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Unde secundum gl. sup. in rubr. circa fin. & Holt. n. 21. & gl. in c. Canones. in verb. Apostolos, & ibi etiam Archid. n. 5.

15.

17. dist. dictum est Symbolum, quia unusquisque Apostolorum partem suam comidit. Symbolum enim Græcè, Latine collatio dicitur, ut patet ex eadem epistola Clementis, ex Cassian. lib. 3. de locum. c. 3. & Rufin. in exp. Symboli. Ideoque in c. 13. sess. 24. Concil. Trident. Parochianorum Symbola appellatur contributiones ille, quas Parochiani pro sua quisque parte tenentur in unum conferre pro augendis redibus exiguis Parochialium Ecclesiarum. Quam ob causam respectu causæ efficientis, id est, duodecim Apostolorum, qui eadem hora in cælum Spiritus Sancti Symbolum eviderunt, fidei articuli dicuntur esse duodecim, secundum Hostien. sup. in rubr. num. 21. Butr. num. 15. Card. num. 11. & alios communiter. Nam Petrus dixit: Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem cæli, & terræ. Andream, Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Jacobus, Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Joannes, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas, Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Jacobus Alphaei, Ascendit ad cælum, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Philippus, Indivisus est judicare vivos, & mortuos. Bartholomæus, Credo in Spiritum Sanctum. Mattheus, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon, Sanctam communionem, remissionem peccatorum. Judas Jacobi, alias Thadæus (Judæum vocat Lucas 6. Thadæum Mattheus 10. & Marcus 3. & 10.) Carna resurrectionem. Mattheus, Vitam æternam. Alij vero aliter prædictos articulos attribuunt Apostolis, ut patet in versibus, quos recenset Cardin. sup. in rubr. num. 11. in fin. qui consonant cum sententia D. Thomæ in 3. dist. 25. quæst. 1. art. 2. Sed in hoc secundum B. Thomam non est magna vis. Respectu autem causæ materialis fidei articuli à Theologis, & Canonistis communiter dicuntur esse quatuordecim, quorum septem respiciunt Divinitatem, & alij septem Humanitatem, ut per Holt. supra in rubr. num. 26. Butr. num. 15. Card. num. 12. Et hanc divisionem ponit etiam D. Thomas loco citato, dum ait: articulos fidei dupliciter distingui: Uno modo, quantum ad ipsa credibilia, & he sunt quatuordecim: Alio modo, quantum ad ipsos, qui articulos distinxerunt, & he sunt duodecim Apostolorum. Sed alij aliter dividunt, ut per Hostien. in summa iniquit. §. Quoriam. In hac tamen diversitate videtur sufficere Catholicis stare Symbolo prout jacet, & sic ponere tantum duodecim articulos, ut inquit Cardin. num. 12. in fin.

Secundum Symbolum est Nicænum, quod scilicet trecenti, & octodecim Patres auctoritate beati Sylvestri Papa in Nicæa Bithynia urbe congregati in prima universali Synodo ediderunt adversus Arii impietatem, qui coætærum Patri Filium non agnoscens, diversas in Trinitate substantias asserbat, ut in c. Quidam. vers. Ariani. 24. quæst. 3. & in d. c. Canones. 15. dist. non autem adversus Græcos, qui non credebant Spiritum Sanctum à Filio procedere, ut incaute scripsit gl. Bernardi supra in rubr. circa fin. & Hostien. num. 21. Hoc enim primum explicitè distinctum fuit in tertia Synodo universali, id est, Ephesina contra Nestorium, ut refertur in c. De

Spirito, de cons. dist. 5. nimirum quia hic error de processione Spiritus Sancti prius nondum irreperat, & ideo in Nicæno Symbolo, quod incipit: Credo in unum Deum, nulla de hoc sit explicita mentio. Et in Symbolo secundæ Synodi univèrsali, id est, primæ Constantinopolitane, tantum legitur: Credo in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum. Sed hæc verba: Et inquit, apud Latinos auctoritate Leonis Primi ab Hispanis Episcopis primum fuerunt in Symbolo expressa ad confutandos Hæreticos Priscillianitas, ut patet in not. ad Concilium Constantinopolitanum l. tom. 1. Concil. part. 1. pag. 144. col. 1. quod distinctè post gl. ind. c. de Spiritu. in ver. ex Deo Patre, explicat D. Thomas in 1. part. quæst. 36. art. 2. ad 2. dicens: (Quia in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, Spiritum non procedere à Filio, non fuit necessarium, ut hoc explicitè poneretur. Sed postea insurgente errore quorundam in quodam Concilio in occidentalibus partibus congregato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis, cujus auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur: continebatur tamen implicitè in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus Sanctus à Patre procedere.) Hæc D. Thomas. Unde in Concilio Florentino sess. 6. distinctum est explicatio nem verborum illorum, Et inquit, veritatis declaranda gratia, & imminente tunc necessitate licite, ac rationabiliter Symbolum fuisse apostolice. Itaque hoc Symbolum Nicænum eadem ferè verborum serie, & sententiâ penitus eadem servata in Synodo Constantinopolitana prima adversus Macedonium repetitum est, & ex Decreto ipsius Synodi Damasus Papa constituit, ut caneretur in Missa post Evangelium, ut refertur Rupert. Tungren de Can. obs. prop. ult. & Archid. ind. c. Canones, & ibi etiam Præpositus num. 9. vers. Et notandum quod Damasus Papa constituit 15. dist. Sed in hoc graviter aberrant; quia, ut scribit Magister in 1. sentent. dist. 11. Cum Leo III. à Carolo Magno rogatus fuisset, ut verba prædicta, Et inquit, ad Symbolum adderentur, non modo renuit id facere, sed etiam Symbolum abique eo additamento in argentea tabula exaratum in Altari post corpus sancti Pauli custodiri voluit, ne quibuslibet liberum esset aliquid ad sanctum Symbolum superaddere. Sed cum postea Franci, alijque omnes Boreales populi offenderentur, & periculum Schismatis subelleret, quod Romana Ecclesia publicè confiteri nolle tam doctrinam, quam ad probandos Catholicos, & corrigendos hæreticos Magnus Leo ante tot. sæcula Hispaniarum Episcopis tradidisset; placuit tandem Benedicto VII. ut idem Symbolum cum expressione eorundem verborum: Et inquit, ad petitionem Henrici Imperatoris Romæ publicè decantaretur in Missa & incipit: Credo in unum Deum, ut testatur Bernard. Abbas Augustinis de rubr. ad Missam spiritant. vide Cardin. Baron. anno 447. num. 12.

Tertium est Symbolum Athanasij, quod canitur inter horas Canonicas, scilicet in Prima Dominicali, & incipit: Quicumque vult. Stipendium Athanasij Romam à Julio Pontifice vocatus,



tus, ut judicaretur, cum Eusebianorum adventum annum integrum, & sex menses expectaret; hoc fidei Symbolum Romæ scripsit, ac tanquam Catholice fidei suæ professionem publicè edidit: fabula enim est quod ab aliquibus asseritur, hoc Symbolum scriptum fuisse ab Athanasio I Treveris in puteo latitante. Baron. anno Christi 340. n. 14. Quod quidem Symbolum una cum actis Nicæne Synodi in Archivio Romano diu asservatum, tandem post multa annorum curricula tradit meritis Ecclesie recitandum, ut in notis ad Concilium Romanum II. tom. 1. part. 1. Concil. pag. 420. col. 1. Atque ita quamvis Athanasius cum non esset Summus Pontifex, sed Alexandrinus Patriarcha, auctoritatem non haberet Symbolum ordinandi; tamen ut advertit D. Thomas in questione de Potestate Dei quæst. 10. art. 10. & Præpos. in c. Canonici. num. 10. 15. dist. hoc non fecit per modum cuiusdam doctrinæ, ut ex ipso modo loquendi apparet: sed quia integræ fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Sedis Apostolicæ recepta est, ut quasi regula fidei habeatur. Et propterea in omnibus codicibus legitur, Regula, non Symbolum; & regulam fidei vocat Eugenius I V. in decreto fidei edito in Concilio Florentino. §. Sexto ibi, compendiosam illam fidei regulam. Quoniam Symbolum fidei edere si nullo Pontificis munus est, non privatorum Patrum. Antoninus. p. 4. tit. 3. c. 4. §. 3. Symbolo autem Apostolorum addita sunt duo Symbola antedicta, ut inquit D. Thomas in 2. 2. quæst. 1. artic. 9. non quia minus plene, aut insufficienter fides Catholica continetur in Symbolo Apostolorum, sed ad explanationem veritatis, & exclusionem errorum. Unde gloss. sup. in rubr. & Hostien. num. 21. dixerunt Constitutionem, de qua hic, esse quartum Symbolum, quod ab Innocentio in generali Concilio editum fuit contra Albigensium, & Almerici hæreses, & Abbatis Joachimi errores. Etenim, ut ait S. Thomas in 2. 2. quæst. 1. artic. 9. ad 2. & Turres. in c. Canonici. num. 15. dist. 15. in omnibus Symbolis eadem fide docetur veritas, sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per Hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit causa quare necesse fuit edere plura Symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur, quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat Hæreticorum instantia. Itaque gloss. & Hostien. Constitutionem, de qua hic, congruè appellant Symbolum, sed non bene dicunt esse quartum, quia alia quoque in præcedentibus Conciliis edita fuerunt, & quinque Symbola universalium Conciliorum fuerunt recitata in Concilio Lateranensi sub Martino I. ut patet tom. 2. part. 2. Concil. pag. 452. Et propterea S. Thomas in 1. part. quæst. 36. artic. 2. ad 2. scripsit in singulis fere Conciliis institutum fuisse Symbolum aliquod propter aliquem errorem, qui in eo Concilio damnabatur, sequens tamen Concilium non faciebat aliud Symbolum, quam primum, sed id, quod implicite continebatur in uno Symbolo, in alio explicite habebatur contra hæreses insurgentes. Unde non incongruè Symbolum appellari potest etiam forma professionis fidei à Pio IV. præscripta in Constitutione, quæ incipit, in Sacrosancta, edita Idi-

bus Novembrii 1564. in ea enim insertum est ad litteram Symbolum majus, & alij multi articuli explicite positi, & in fine, sicut in Symbolo Athanasij dicitur: Hæc est fides, &c. Nam & Symbolum appellatur fides, ut in c. Quisquis, junctâ gloss. in ver. ad fidem, de vita & honestate Clericor. Jo. Andr. sup. in rubr. num. 14. & Bellam. num. 4. fides, id est collectio articulorum fidei. c. Hæc est fides. 2. quæst. 1. secundum gloss. ibid. & Hostien. num. 4. Spectat enim ad Summum Romanum Pontificem, etiam sine Concilio, fidei Symbolum ordinare, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 10. Quoniam ad ejus auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem finaliter pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconculsa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficilius Ecclesie quæstiones referuntur. c. Multis. 17. dist. 6. Hæc est fides. c. Et est auct. c. quotiens. & per tot. 24. qu. 1. & c. Majores, in princ. de Bapt. & patet in Symbolo Athanasij, quod non auctoritate alicujus generalis Concilij, sed Romani Pontificis tantummodo traditum est. Idipsum docuit idem S. Thomas in opusculo contra error. Graecorum, ut refert Sylvester in ver. fides. num. 2. Atque ita Symbolum dicit esse fidei professionem. Turres. in c. Canonici. part. 1. num. 9. ad 3. 15. dist. Hæc de Symbolis.

39 Articulus verò fidei est individualis veritas de Deo supra rationem non actans ad credendum, ut diffinit Richard. de S. Victore relatus supra in rub. à Jo. Andr. num. 22. Bellam. num. 5. & Card. num. 11. & à D. Thomain 3. dist. 25. quæst. 1. artic. 1. nisi quòd S. Thomas omittat verba: supra rationem, quæ tamen videtur supponere in 3. argumento contrario, & loco illius verbi, individualis, ponit, indivisibilis. Nam articulus nomen Græcum est, & importat indivisionem; unde membra, quæ non dividuntur in alia membra, dicuntur articuli, & secundum istum modum conclusiones, quæ inquiruntur in aliqua scientia, vel aliquo tractatu, dicuntur articuli, quia ex eis sicut ex quibusdam principijs indivisibilibus consurgit tota collectio, quæ tractatum perficit, & sic in judicijs ea, quæ per testes probata sunt, vel probanda, dicuntur articuli, prout hæc notatur in c. 2. in gloss. in ver. articuli. de testib. lib. 6. & à D. Thoma loco citato, & latius in 2. 2. qu. 1. art. 6. ubi etiam post gloss. præalleg. explicat quot modis dicatur fidei articulus.

40 Accipitur autem fidei articulus tripliciter secundum Vincentium, & Alanum in c. Cum Christus, in rub. de Hæreticis. quos ibi sequuntur Host. Jo. Andr. Butr. Cardin. & reliqui omnes, & Archiep. in c. Canonici. num. 6. & ibi etiam Præpos. num. 11. 15. dist. Primum strictè, & citat dicuntur fidei articuli illi tantum, qui in Symbolo Apostolorum continentur. Secundò largius, sicut accipitur in prædicta Decret. Cum Christus, & secundum hoc comprehendit omnia, quæ sunt determinata, seu distincta à Summis Pontificibus, vel generalibus Concilijs, qualis est articulus, tres personas esse æquales, & alij plures, de quibus hic in textu, & in c. proxi. in rub. de 1. 1. 2. & 3. dist. 15. & in c. penult. & ult. de consecr. dist. 3.

Tertiò largissimè, secundum quod comprehendit omnem sententiam veram circa fidem, sive sit distincta, sive non, quæ maliter articularia fidei appellat Speculat. in rub. de Dissens. legat. §. Nunc breviter, vers. contra, ut refertur Jo. Ant. & alij in d. c. Cum Christus.

41 Quibus suppositis, ut jam ad propositam quæstionem accedamus, fidei articulos stricte sumptos, qui scilicet continentur in Symbolo Apostolorum, Alanus, & Vincentius in d. c. Cum Christus, affirmant, unicuique intellectum habenti necessarium esse ad salutem explicite scire, c. Ante viginti. c. Bapuzandos, & c. Prima igitur, de consecr. dist. 4. Quorum sententia accedunt in eod. c. Cum Christus, Jo. Andr. num. 2. Card. num. 3. Butr. num. 4. Anchar. num. 2. Itaque ut vides, Vincentius & Alanus non distinguunt inter articulum, quòd Deus sit, & strenuaturator omnium bonorum, & alios articulos Symboli Apostolorum, sicut faciunt Innoc. Compoll. & alij, de quibus supra in 1. 2. & 3. Concilij, num. 18. & sequentibus, sed absolute asserunt hos articulos explicite credere necessarium esse ad salutem unicuique intellectum habenti.

Potrò prima opinio, quòd omnibus Laicis sufficit credere Deum esse, & esse bonorum remuneratorem, alios verò articulos sufficit illis implicite credere; Item opinio glossæ Bernardi supra in rub. quòd incarnationem, Passionem, & Resurrectionem, & alia Christi mysteria Laici non teneantur credere, nisi implicite, non vateat periculo erroris, ut propterea non sine causa Innoc. & Compoll. ubi fuerint dictione illa, Forte simplices, & forte omnes Laici, quam postea repetierunt Host. Jo. Andr. & reliqui Canonici citati supra in 2. Concilij, num. 19. Quoniam ut efficaciter probat S. Thom. in 3. dist. 25. qu. 2. art. 1. qu. 1. in quocunque habente usum liberi arbitrij exigitur ad salutem ejus, ut habeat actum fidei, & non solum habitum, fides autem non potest exire in actum, nisi aliquid determinatè, & explicite cognoscendo, quod ad fidem pertinet. Et ideo omnes, qui habent usum liberi arbitrij, habere fidem explicitam quantum ad aliquid, est de necessitate salutis. Quod clarè etiam supponit Tridentina Synodus, dum in c. 2. sess. 5. præcipit quibuscumque curam animarum habentibus, ut per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis sollempnibus plebes sibi commissas pro sua, & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo que scire omnibus necessarium est ad salutem. Unde non immeritò Eymericus in decret. inquis. part. 2. quæst. 10. de Hæresibus ab Inquisitionibus Aragoniæ damnatis D. Papæ mandato: Octava, inquit, hæresis est, quòd Laici non tenentur ad aliquem fidei articulum explicite credendum, sed sufficit sibi illa conclusio generare, quòd credat omne illud, quod credit sancta Mater Ecclesia Dei. Hæc autem determinatio, & explicita cognitio esse debet principaliter quantum ad ea, quæ sunt veluti universalia principia, ac prima Catholice fidei fundamenta. Stultum enim est dicere, ut inquit Sylvester in decret. Summæ Roellæ in ver. Fides, num. 6. in fin. Quòd scilicet liceat urenti ratione, & ad ultro ignorare Nativitatem, & Mortem Crucis,

quam impossibile est talem ignorare, nisi omnino suam contemnat salutem, & aures verbis divinis obturet. Quamobrem S. Thomas in 2. 2. quæst. 2. art. 5. Objæctum, inquit, fidei per se est id, per quod homo beatus efficitur. Per accidens autem, & secundario se habent ad objectum fidei omnia, quæ in sacra Scriptura divinitus tradita continentur, sicut quòd Abraham habuit duos filios, quòd David fuit filius Hæi, & alia hujusmodi. Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere quiddam Divina Scriptura continet; sed tunc solum hujusmodi tenetur explicite credere, quando hoc est consistentiter in doctrina fidei contineri, & in 2. 2. quæst. 2. art. 7. Post tempus autem gratiæ revelatæ tam minores, quam majores, tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur. Idemque de mysterio Sanctissimæ Trinitatis docuit art. 8. Itaque S. Thomas concordat cum 2. opinione Vincentij, & Alani, dum docet tam majores, quam minores, id est, tam Clericos, quam Laicos, & tam litteratos, quam rudes teneri ex necessitate salutis explicite credere articulos fidei, & præcipuè mysteria, quæ ab Ecclesia solemnizantur, ut explicat Turres. in c. Symbolum num. 4. de consecr. dist. 4.

45 Sed ne in re tam gravi tam insignis discrepantia inter primarios Canonistas ullum dubitatum locum relinquat, jam proferamus quid super hoc diffinitum fuerit probatorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum decretes. In Concilio Foro-Julienfi in causa Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini habito sub Adriano Papa I. Anno Domini 791. & Caroli Magni 13. tom. 3. Concil. part. 1. sess. 2. pag. 137. col. 1. post declarationem articulum fidei ita scriptum est. (Hanc igitur Catholicæ fidei sincerissimam puritatem volumus omnes Dei Sacerdotes, omnesque gradus Ecclesiæ summo cum studio, & absque ullo vitio, ita ut ne unus quidem apex intermittatur, vel augeatur, distindè, & solentim discendo memoriæ retinere, & posteris discenda relinquere.) & paulò infra.

46 (Symbolum verò, & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætatis, omnis sexus, omnisque conditio, matuli, femina, juvenes, senes, servi, liberi, pueri, conjugati, innuptæque puellæ; quia sine hac benedictione nullus poterit in celorum regno percipere portionem.) Hæc ibi. Per Symbolum autem fidei intellige Symbolum Apostolorum, ad quod omnia alia Symbola tanquam Catholice expositiones redeuntur, & quod implicite continet quicquid ab alijs explicite digestum postea fuit. S. Thomas in 3. dist. 25. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. ad 2. Cum enim ad hoc memoriter tenendum Synodus obliget omnem ætatem, sexum, conditionem, videtur solum intellexisse de Symbolo Apostolorum, quod facillius addiscitur, quam Symbolum Patrum Nicæne Synodi, quod vix memoriâ retinetur ab hominibus proæditis. Ac propterea cum in Symbolo Apo-



stolum continentur omnia necessaria pro omnibus, non videri Concilium loquens de omnibus hominibus voluisse obligare ipsos ad Symbolum continentem necessaria ad explicitè credendum solummodo à majoribus. Adde quòd Synodus loquitur ad versatè ibi, *Symbolum verò*, atque ita contra distinguit Symbolum Patrum, de quo prius mentionem fecerat, ab alio Symbolo obligando ad illud memoriter retinendum Sacerdotes, & gradus Ecclesie tantum; ad hoc verò indifferenter omnes. Quæ distinctio inepta esset, si omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio teneretur Symbolum Patrum addiscere, atque ita usus universalis obtinuit, quia minores, & Laici addiscere non confiteverunt, nisi Symbolum Apostolorum. Quod advertendum duxi, ne alicui fabricari scrupulus, quòd cum Synodus initio expresserit de Symbolo Patrum, postea simpliciter repetendo verbum *Symbolum*, videatur de eodem Symbolo Patrum intellexisse. In Concilio itidem Moguntiacò I. celebrato anno salutis 813. tempore Leonis Papæ III. & Caroli Magni Imperatoris, c. 45. to. 3. *Concil. part. 1. sess. 2. pag. 201. col. 2.* sic legitur. (Symbolum, quod est signaculum fidei, & Orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes Populum Christianum; volumusque ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejuniis, sive in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, ut filios suos mandent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè discant, & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant, & qui aliter non poterit, vel in sua lingua hoc discat.)

Et in Concilio Rhemeni habito eodem anno sub eodem Pontifice, & Imperatore c. 1. eodem tom. 3. part. 1. sess. 2. pag. 203. col. 1. (Est de fidei ratione, ut unusquisque iuxta intellectum suæ capacitatis Domino largiente disceret, & intelligeret, atque operibus pleniter observaret) & c. 2. (Ut orationem, quam Dominus noster Jesus Christus discipulis suis orare docuit, verbis disceret, & sensu benè intelligerent, quia illam ignorare nulli Christiano licet.) Item *ludor. lib. 2. de offi. c. 11.* quem refert Ivo part. 1. de Bapt. c. 88. Competentibus salutare Symbolum traditur quasi commentorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant quales jam ad gratiam Christi exubere se debeant. Et Augustinus lib. 1. de Symbol. c. 1. relatus itidem ab Ivone par. 1. c. 8. (Incipite regulam fidei, quod Symbolum dicitur, & cum acceperitis, in corde scribite, & quoties dixerit apud vos: antequam

47 dormiatis, Symbolo vestro vos munite.) Amplius in Concilio Mediolanensi V. in tit. Quæ ad prædicationem verbi Dei, & doctrinam Christianam pertinent, statutum est his verbis. (Ad salutem cum omnibus fidelibus necessarium sit Christianæ fidei rudimenta scire, omnibus, singulisque animarum curatoribus, & ceteris Confessoribus sive Secularibus, sive Regularibus in virtute sanctæ obedientiæ id præcipimus, ut faciant antequam confessiones audiant, Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum fidei, & decem præcepta Dei, quæ in Decalogo continentur, ut penitentes recitent, ac ipsis audientibus referant, Quorum retum si quos igna-

ros rudesque offenderint, hanc eorum spiritualem sollicitudinem acriter reprehendant, offendantque quam gravis esse debeat illorum conscientie ignorantie retum ad salutem, quæ in opere necessariæ sunt. Cum autem eos absolvunt, præter alias penitencias, id etiam imponunt, ut quatuor hæc saltem potissima doctrinæ Christianæ capita in posterum accuratè ediscant, certo illis pro arbitratu suo præfinito congruo tempore, quo tamen ob necessariam aliquam causam semel, aut ad summum iterum prorogari liceat: eo autem temporis spacio confecto, si eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc ne illorum confessionem audiant, nisi consilio, & assensu aut Vicarii foranei, si Diocesani sunt, aut illorum, quos huic curæ in civitate Episcopus præfecerit, si in civitate vivunt. Si qui verò semel ita admittit ad Sacramentum Penitentiae eos postea in rudi hæc, crassaque ignorantia perhibere compertum erit, de ijs ad Episcopum ipsam referatur, antequam amplius admittantur, qui illorum salutem diligenter & efficacius consulat, ut viderit in Domino expedire.) Hæc ibi.

Item in Concilio Provinciali Mediolanensi II. Decreto 10. Statutum est, ut ea cura sit Parochis, ut quos Compares ita imperitos noverint, ut Symbolum fidei, sive ea quæ in symbolo continentur, ignorent, illos eo officio suscipiendi de baptismo infantes fungi ne pariantur. Et cum actum esset in Sacra Congregatione Concilij de correctione hujus Decreti, Patres censuerunt addendum, quando in ipso actu baptismi commode haberi possit copia peritorum: his rationibus, quia Compares docere tenentur infantes fidei rudimenta; Unusquisque enim obligatus est munus, ad quod obligatur, exercere. c. *Vos ante omnia de consecr. dist. 4.* hujus enim sacra tutela administratio non est committenda ijs, qui eam gerere, aut fideliter non valent, aut sedulo, seu accuratè non curant. Levatio enim si non est de necessitate Sacramenti, est tamen de rationabili admodum convenientia. Sed cum baptizari nutriuntur inter fideles, ubi hujusmodi, quæ pertinent ad Christianam fidem publicè, & omnibus nota sunt, deo excusantur Compares, quia parentes præsumuntur hæc diligentius docere pueros suos; & ideo hujusmodi paedagogia non indigemus. Turrecr. in d. c. *Vos autem de consecr. dist. 4.*

48 Quo loco emittendum non est, Concilia Provincialia Mediolanensia consuevisse approbari à Summo Pontifice per litteras in forma Brevis, cum tamen alia Provincialia Concilia non confirmantur, sed tantummodo recognoscantur, & emendentur à S. Congregatione Concilij ad præscriptam Constitutionis Sixti V. super institutione ejusdem Congregationis.

Ex quibus dilucide apparet omnes Christianos usum rationis habentes teneri explicitè scire saltem Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam ex necessitate salutis, & quoad hoc nullam esse constituendam differentiam inter Clericos, & Laicos, inter literatos, ac rudes. Hæc tamen de articulis stricte sumptis.

49 Quòd si fidei articuli accipiuntur secundo modo, id est largius, prout comprehendunt omnia, quæ à Pontifice Maximo, vel generalibus Concilijs sunt distincta, Prælati quidem, & alij curam ani-

animatum, vel officium docendi habentes, tenentur hujusmodi articulos explicitè scire, cum legem scire debeant non perfunctorie, sed scrupulose, c. *Omnes, 38. dist. c. qui Episcopus, 28. dist. 2.* secundum Innocentium. & alios supra relatos in §. *conclus. num. 23.* & in hoc conveniunt omnes tam Canonistæ, quam Theologi.

50 Reliquis verò sufficit fides implicita, dummodo in contrarium specialiter non sentiantur, secundum Archid. in c. *Canon. num. 7. 15. dist. & consensu glos. in c. Cum Christus, in ver. sub anathemate, infra de Hæret. Itaque Archid. simpliciter & absolute tenet, satis esse hos articulos ab Ecclesia distinctos implicitè credere, nulla facta distinctione inter Laicos, & Clericos. At Innocentius consensit quoad Laicos, ut non teneantur explicitè; sed quoad Clericos dicit, si sint pauperes, & rudes, satis esse ut sciant fidei articulos licet simpliciter Laici, & aliquantulum plus, & exemplificat in articulo de Sanctissimo Eucharistia Sacramento, qui explicitè non habetur in Symbolo Apostolorum. Sed *infra in §. Vnà verò.* Si verò habeant Magistros, & expensas, dicit eos peccare nisi magis proficiant, quam Laici in explicita cognitione fidei. Distinctio Innocentij absque dubio est tutior, & magis etiam consonat verbis Concilij Foro-Julienis paulò superius relatis *num. 45.* quæ obligant non tantum Dei Sacerdotes, sed omnes gradus Ecclesie ad discendum distinctè, & sensatum, ac memoria retinendum Symbolum Patrum; Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & alios articulos ibi declaratos. Verba enim illa: *omnes gradus Ecclesie*, comprehendunt non tantum Diaconos, & Subdiaconos, sed etiam Clericos inferiores. c. *Cleros, 21. dist. c. officia, & c. Ordinatores, 59. dist. 2.* cum multis similibus. Et eodem modo Concilium Rhemense c. 1. de quo supra *num. 46. vers. & in Concilio, per illa verba: juxta intellectum suæ capacitatis* designat differentiam inter majores, & minores.*

51 Denum si fidei articuli accipiuntur tertio modo, id est largissime, secundum quod comprehendunt omnem sententiam veram circa fidem, sive sit distincta, sive non, Alan. & Vincent. in d. c. *Cum Christus, de Hæret.* dicunt secundum hanc acceptionem licitum esse de articulis fidei dubitare, si nondum distincti fuerint, quemadmodum licebat dubitare de jam distinctis ante distinctionem, allegant c. *Dixit Apostolus, 24. quæst. 1.* inferretes propterea ante distinctionem prædictæ Decretalis *Cum Christus*; videlicet quòd Christus sit verus Deus, & verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens, licuisse contrarium asserere. Quibus videtur suffragari quòd ait Augustinus relatus à Præpos. in c. *Sicut, 15. dist. Evangelio non credere, nisi Ecclesia illud recipere: Unde enim nobis constaret quòd illud Christi Evangelium foret, nisi propter Ecclesie approbationem. Et cum opinione Alani, & Vincentij transtulit glos. in c. *Canon. in ver. Eutychem, 15. dist. Archid. nu. 7.* & Præpos. nu. 11. & in d. c. *Cum Christus, Jo. Andr. nu. 2. in fin. ubi exemplificat in Extravag. Benedicti XI. incipien. Benedictum Deus, quò distinctum est aïmas justorum simul atque è corporibus migraverunt, & divinam essentiam**

clarè videre, si nihil tamen habeat quod penitus purgatorij expandam sit. Et sequuntur Butr. *num. 4.* Anchar. *num. 2.* & Card. *num. 3.*

Verùm hæc doctrina eo modo, quo proponitur à Canonistis, nisi aliquâ explicatione, vel interpretatione adjuvetur, est valde periculosa. Primum igitur Vincentius, & Alanus supponunt hunc articulum de duabus naturis, & quòd Christus sit verus Deus, & verus homo, non fuisse distinctum ante d. c. *Cum Christus, de Hæret.* quòd tamen est falsum, quia multa ante sæcula fuit distinctum in quarta universali Synodo Calcedonensi, cujus distinctio in quinto postea, & sexto universalibus Concilijs renovata fuit, prout refertur in Decreto fidei edito ab Eugenio IV. in Concilio Florentino in unione Armenorum cum Ecclesia Latina, §. *Secundo traditum est distinctio-nem, tom. 4. Concil. part. 1. pag. 612. col. 2.* Idemque habetur in Concilio Carthaginiensi IV. c. 2. cujus verba superius retulimus *numero 25.*

52 Deinde, quia propositionum contra articulos in hac lacissima significatione plures sunt gradus Hæretica, erronea, sapiens hæresim, piam aurium offensiva, temeraria, scandalosa, bonis moribus contraria, blasphema, schismatica, seditiosa, injuriosa, hæreticis favens, ac si quæ sunt similes, quarum cognitio magna ex parte à Theologis petenda est, quorum est propositionum qualitates, & gradus judicare, & expendere, & de his consule Turrecr. in *Summa de Eccles. lib. 4. part. 2. c. 11.* Albertin. in *tract. de agnos. ass. quæst. 6.* Melchiorem Canum *lib. 12. c. 11. de loci Theologicis, Alphonsum Caltrum lib. 1. c. 3. de iusta hærese, punit. Simancam Cathol. Inq. tit. 54.* Et præter hæresim multa propositiones notantur censuræ in Concilio Constantiensi *sess. 8. contra V. Pictor. & sess. 15. contra Joannem Hus*, & in Constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaellem Baicam. Ideoque Bald. in c. *Neminaru, nu. 14. de Constitut. dixit* hodie esse proximum hæresi affirmare corpus Beatissimæ Virginis non fuisse assumptum in cælum. Præterea aïas dantur propositiones hæreticæ etiam in articulis ab Ecclesia non distinctis, quales sunt propositiones contra traditiones Apostolorum. Et in Decreto de *Canonice Scripturis sess. 14. Concil. Trident. & contra ea, quæ de fide Sancti Patres unanimi consensu docuerunt, ut declarat Turrecr. in Summa de Eccles. lib. 4. part. 2. c. 10.* & Melchior Canus de *loci Theologica lib. 12. c. 7.* Non ergo sequitur: Articulus non est ab Ecclesia distinctus: ergo licet contrarium asserere, aut de eo dubitare.

53 Imò quod magis est, etiam in his, quæ ad fidem, aut mores non pertinent, ita demum licitum est quicquid libet affirmare, si macetia sit indifferens. Quo sensu Augustinus in 1. *In quibus, 22. quæst. 2.* ait: In quibus rebus nihil interest ad capessendum regnum Dei, utrum credantur, an non; utrum vera putentur, an falsa, in his errare, id est unum pro alio putare, non arbitrarium est esse peccatum: aut si est, minimum esse, atque levissimum, ubi glos. 1. id explicat duobus exemplis, & Turrecr. addit tertium. An cælum sit rotundum, & alia plura Augustinus in



54 *Enchirid. c. 21.* At verò in materia gravi Theologica etiam non definita, nec ad mores spectante aliquid affirmare, quod sit delictum ratione, & autoritate ex solo proprio iudicio, imprudentia, negligentia, inconsideratio, precipitatio, & temeritas esse potest. quia in rebus momenti leviter, & temere absque rationis regula iudicatur, ut patet ex D. Thoma in 2. 2. *quæst. 53.* & 54. Ideoque in officio S. Inquisitionis censurâ temeritatis notantur multæ propositiones conformes, si solo proprio iudicio sine autoritate, & ratione excogitatae sint, ut apud Cordubam *lib. 1. par. 17. §. 13.* veluti si quis allexeret locum Paradisi Terrestrius esse extra portam Pincianam, aut iudicium finale intra decennium futurum, licet ignoretur quâ hebdomadâ. Quo exemplo utitur Suarez *tom. 2. de Gratia. disp. 19. sect. 2. n. 20.* Quod igitur dixerunt Doctores in *d. c. Cum Christus. de Heret. & in d. c. Canones. 15. dist.* De articulis continentibus omnem sententiam veram circa fidem licitum esse dubitare, aut etiam contrarium affirmare si nondum fuerint definiti, declarandum est procedere quoad hoc tantum, ut sic dubitare, vel affirmare non sit formaliter hæresis, secundum ea, que ex mente S. Thomæ in 1. p. q. 32. *art. 4.* & in 2. 2. q. 11. *art. 1. & 2.* explicat Eymericus in *Direct. Inquis. par. 2. q. 2.* non autem intelligi debet procedere quoad hoc, ut liceat contrarium asserere absque peccato, aut censura erroris, vel temeritatis, &c. ut ex prædictis constat. Sed hæc messis Theologorum. Quocirca nos Canonice decidimus quæstiones nostras, & Theologi decident quæstiones suas, quia non est sine culpa ponere falcem in messem alienam, ut de Legitis & Canonis dicebant in *c. fin. infra de canonic. appost. Butr. n. 2. in fin. & Alex. de Navo n. 26.*

64 In textu ibi, *Confitemur*, nota actum fidei duplicem esse, ut docet D. Thomas, scilicet corde credere, & ore profiteri secundum illud ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ad primum referuntur verba illa huius Constitutionis, *firmiter credimus.* Ad secundum referuntur immediate sequentia, *simpliciter confitemur.*

Reliqua ad expositionem huius Constitutionis vide hic per Hostien. Jo. Andr. & Collectar. & præcipue per D. Thomam in *sua glos. quæ habetur opus. 23.* Nam, ut inquit hic Bald. in princ. ea, quæ continentur in hoc capitulo, pertinent ad apicem Theologiæ, contra quam perniciosè erratur.

## DE SVMMA TRINITATE, & Fide Catholica.

### Cap. Damnamus.

#### SVMMA RIVM.

- 1 **H**æreticus censeri non debet errans in fide, si Romana Ecclesia fidem suscipere sit paratus. *Et n. 20.*
- 2 Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus verâ unione, & non similitudinariâ, vel collectivâ sunt una substantia, quæ non est generans, nec genita, nec procedens. *Et n. 27.*
- 3 Nec per hoc in Trinitate Dei quaternitas, & n. 27.
- 4 Damna, & reprobare an, & in quo differant.
- 5 Nullam simile est idem.
- 6 Veritas quid sit.
- 7 Errorum in fide nulli fas est defendere.
- 8 De fide publicè disputare an, & quando liceat.
- 9 Ioachimus Abbas dicitur habuisse scriptum Prophetiæ, & n. seqq.
- 10 Prædixit Ordines Prædicatorum, & Minorum.
- 11 De illius vaticiniis iudicium, & n. seqq.
- 12 Non Prophetico spiritu aliquid futura prædicatur, sed conjecturâ mentis humane, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.
- 13 Prout fecit Abbas Ioachimus ex sententia D. Thomæ.
- 14 Hæreses plures Ioannæ de Parma de Doctrina Abbatis Ioachimi.
- 15 Libro damnato non censetur damnatus illius author, si librum supponat correctioni Romani Pontificis.
- 16 Sed damnato Authore ejus quoque libri censentur damnari.
- 17 Etiam si aliâs sint boni. Declaratur n. 18.
- 18 Hæretici dicitur, & si bonum sit, reprobat quantum ad hoc, ut auctoritate in se contineat: aliâs quasi verum, non tamen auctoritative, approbatur.
- 19 Libros Hæreticorum continentes hæresim, vel de Religionè tractantes, qui legunt, aut retinent, excommunicantur in Bulla Cene.
- 20 Ioannes de Poliano Doct. Parisiensis non fuit hæreticus: quia licet errorem suum defendere niteretur, tamen se submisit desinens Apostolica Sedis.
- 21 Hæresis initium est error in intellectu: Hæresis complementum, si pertinaciâ in voluntate.
- 22 Perit max quis.
- 23 Doctores Catholici in principio, vel in fine librorum suorum, quam faciunt protestationem ad evitandam hæresim, & n. seqq.
- 24 Ioachimus Abbas non fuit hæreticus, sed erraticus. *Et n. 26.*
- 25 Eiusdem Epistolâ, quâ scripta sua Apostolice subiecit ex animi, refertur.
- 26 Ioachimus declaratur Catholicus ab Honorio III. licet ejus libellus fuerit à Concilio damnatus.
- 27 Errores illius qui fuerint.
- 28 Almerici Hæresis quæ.

DAMNA-

- D**AMNAMUS. Licet quis erret in fide, non debet hæreticus censeri, dum tamen fidem Romanæ Ecclesiæ suscipere sit paratus, vel se illam tenere fateatur. hoc dicit secundum Abb. Antiquum. 3. Sed secundum Joann. Andr. cum quo concordant Bellamer. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Sicul. & Joan. de Anan. Summatric. sic. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vera unione, & non similitudinaria, vel collectivâ sunt una substantia, essentia, seu natura; quæ substantia non est generans, nec genita, nec procedens, quia illi actus non substantiæ, sed personis debent attribui. Neque per hoc in Trinitate Dei est quaternitas. Contrarium sentientes Hæretici sunt, nisi se Romanæ Ecclesiæ correctioni submittant, hoc dicit. Dividitur in duas partes principales. Prima damnat doctrinam Abbatis Joachimi. Secunda ibi, *Reprobamus*, damnat doctrinam Almerici. Item prima pars facit quinque. Primo, reprobatur opinio ipsius Joachimi contra Magistrum Sententiarum, quam prosequitur exprimens motiva, & rationes ipsius. Secundo ibi, *Nos autem, approbat*, & probat illam Sententiam Magistri, quam damnabat Ioachim. Tertio ibi, *cum ergo*, Respondet illi auctoritatè, qua Ioachim principalis movebatur. Quarto ibi, *si quis*, damnat tenentes illam opinionem reprobamam. Quinto ibi, *in nullo*, protestatur pro Monasterio ipsius Abbatis Joachimi, & pro intellectu huius capituli, vide Archidiaconum in *cap. in Christo Pater. n. 1. de consecrat. dist. 2.* & Melchiorum Canon de locis Theologicis *lib. 12. cap. 7. vers. Secunda præscriptio.*
- Nota primo, ex principio textus, verba *damnamus, & reprobamus*, hic poni tanquam diversa. Nam *damna* est rem perpetuò, sine spe sublevandi, tormentis, & ignominie sententialiter depurare. *Reproba* autem est rem evidentibus rationibus ream probare, seu demonstrare; unde dicunt quidam, damnat sententiam, vel opinionem, & reprobat rationes, secundum Jo. Andr. *hic n. 6.* Bellam. *n. 1.* & Abb. *in. 1. not. ab.* Licet alij existant hæc verba fuisse hic inculcata ad majorem exaggerationem, seu aggravationem.
- Secundo nota ibi, *unitatem huiusmodi non veram, sed similitudinariam.* Illud, quod est per similitudinem, non esse per essentiam, & veritatem, quia nullum simile est idem. *l. actio- nis verbi, §. 1. cum glos. in verb. obtrient, ff. de verb. obligat.* & veritas secundum Io. Andr. *hic n. 11.* est perpetua existentis rei tanta soliditas, ut ceteris desistentibus, ipsa in suo esse remaneat inconcussa; imo concussionibus, si dici fas sit, amplius roboratur. Alias veritatis definitiones recenset S. Thom. in 1. p. q. 16. *art. 1. in corp.*
- Tertio nota ibi, *defendere, & approbare præsumpsit*; nulli fas esse defendere errorem in fide, ut hic, & in *cap. Qui aliorum, 24. q. 3.* & in *cap. Excommunicamus. il. 2. §. Credentes. de hæreticis.* Iam nec disputare de fide publicè turbis coadunatis, tumultus, sive perfidie defendendæ causa, ut *l. penult. c. de Summa Trinitate. Innocent. h. n. 1.* & Io. Andr. *n. 31.* Sin autem ad confusionem hæreticorum, vel ad fidem

Prosp. Fagn. in 1. Decretal.

dem clarificandam de fide aliquis disputaret, ut fecit B. Sylvester, non esset malum, ut hic dicunt Compell. in *fin. Host. n. 21. in verb. Defendere.* Qui ad hoc allegat *cap. Inter, §. Præcipias. de purgat. Canon. Io. Andr. d. n. 31.* & Bellam. *n. 6. in verb. Defendere.* Butr. *n. 25.* facit secundum eos *cap. 2. §. 1. de Heret. lib. 6.* & est ex mente D. Thom. in 2. 2. q. 10. *art. 7. ad 2.* dum dicit *l. penult.* Mariani Augulper Canones confirmatam prohibere publicam disputationem de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei, non autem illam, quæ est ad fidei confirmationem, de quo dic plenius ut hic per Bellam. *n. 11.* An autem hoc vendicet libi locum in Clericis tantum, an verò etiam in laicis, pendet ex intellectu text. *ind. cap. 2. §. Inhibemus. de Heret. lib. 6.* ad quod vide quod scripsi in *cap. Cum venissent, n. 133. de iudicis.*

Quarto nota in *vers. In nullo tamen, Abbatem Joachim fuisse Instructorem celeberrimi Monasterij Florentis, quod est in Calabria, unde ille fuerat oriundus, qui etiam multos libros composuit, & futura prædixit, & fuit tempore Verbanij III. in Martiniana 1188. ut refert Alberic. de Rosate in suo Dictionario in *ver. Abbas.* Et sic annis 27. ante Concilium Innocentij III. qui illius errores damnavit, ut hic in *littera: De isto Joachim, ut inquit Jo. Andr. hic n. 9.* Quomodo divinitus habuit donum intelligentiæ, & spiritum Prophetiæ, vide in *historijs lib. 30. cap. 40.* & super Daniele propheta vit Ordinem Prædicatorum, & Minorum. De eodem flegitur in Registro mundi impresso Norimbergæ anno Salutis 1493. ad annum à creatione Mundi 6344. fol. 204. (Joachim Abbas Calaber ad Urbanum Pontificem Veronæ accessit. Is maxime doctrinæ, & excellentissimi, ac prope divini ingenij vir hac ipsa tempestate apud Guillelmum Regem, & Calabros omnes clarus, & inclutus fuit. Qui spiritu Prophetiæ, ut ajunt, repletus futura quasi præsentia distabat, cum prius non multum ab homine Doctore didicisset, donum intelligentiæ, ut ferunt, divinitus accepit, adeo ut facundè Scripturarum difficultates enodaret, & cum plurimum eruditus esset, nonnullos in sacros Codices edidit Commentarios, & quam maxime in Apocalypsim, ubi & multa prædixit, & postissimum de Ordinibus Mendicantium. Item contra Petrum Lombardum Theologum librum composuit, qui postea damnatus, & reprobatus fuit, sicut patet in principio Libri Decretalium, Fertur quoque multa scripsisse, librosque suos Domino Pape emendandos obtulisse: & ei multa de futuris reserata ajunt de duobus Regibus Franciæ, & Angliæ apud Messanam hyemantibus. Aliquando interrogatus quid sibi de expeditione Saracenum sperandum esset, respondit, nondum adesse tempus qui Ierusalem recuperari posset. Superius autem quæ scripsit de futuris temporibus, nos terum incertarum præstigiis relinquere convenit iudicio posteritatum. Alia quoque perpulcra scripto mandavit.) Hæc ibi. Similiter Card. Bellarm. *de Scriptor. Eccles.* (Ioachimus inquit) Abbas Florentis Monasterij vivebat anno 1198. Scripsit in Isaiam, & Ieremiam, & Apocalypsim, & concordiam Testamenti veteris, & novi, quæ omnia extant. Circum-*